



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim

Innozenz <III., Papst>

Parisiis, 1682

Clericis Sancti Pavli de Castro Cervarij.

urn:nbn:de:hbz:466:1-20006

literæ, in quibus fuit falsitas deprehensa, formam de simplici iustitia habuerunt, cum præsumi non debeat quod pro talibus literis, quæ de facili possunt à quibuslibet obtineri, fraudem commiserit falsitatis, ab ipso Presbytero canonica purgatione recepta quod conscius non fuerit falsitatis, nec literis illis usus est postquam eas falsas esse cognovit, tu ei diuinæ pietatis intuitu officium beneficiumque restituas, & eum super hoc ulterius non molestes: quia sicut iustum est excessus corrigere delinquentium, sic iniquum meritis reputatur, si severitas pœnæ puniat innocentes.

ABBATI ET CONVENTUI
sancti Edmundi.

Epist. 457.
De consecratione Ecclesie ipsorum.

Cum Ecclesia vestra Ecclesie Romanæ sit filia specialis, & ad eam nullo pertineat mediante, vos (unde prudentiam vestram dignis laudibus commendamus) ad apostolicam sedem tanquam ad caput vestrum in arduis ducitis recurrendum. Et quia Ecclesia ipsa nondum munus dedicationis accepit, super dedicatione ipsius à nobis licentiam postulastis. Nos ergo petitionibus vestris grato concurrentes assensu, postulatam licentiam indulgemus, concedentes etiam quod cruces & sanctorum imagines, quæ præ magnitudine sui de ipsa Ecclesia non possent absque dispensatione amoveri, in suis locis valeant remanere. Episcopis autem, quos ad dedicationem duxeritis invitandos, per apostolica scripta mandamus ut ad vocationem vestram veniant, quemadmodum postulastis. Datum Laterani Kal. Decembris.

CLERICIS SANCTI PAULI
de Castro Cervarij.

Epist. 458.
Confirmat sententiam pro illis latam circa subapostolij.

EA quæ auctoritate apostolica ratione prævia statuuntur, ne in recidivæ quæstionis scrupulum relabatur, apostolico sunt munimine fulcienda. Ex literis siquidem dilecti filij nostri R. tituli sanctorum Marcellini & Petri Presbyteri Car. Casin. Abbatis nuper accepimus quod cum olim causam quæ vertebatur inter vos & Ecclesiam sanctæ Mariæ de Castro Cervarij super baptismate, de communi assensu partium ipsi duxerimus committendam, idem visis utriusque partis rationibus & plenius intellectis, pro vobis sententiam

promulgavit; Clericis prædictæ Ecclesie sanctæ Mariæ firmiter inhibens ne vobis molestiam vel gravamen inferrent quò minus pueros parochianorum vestrorum liberè sic baptizare possentis, cum vestra Ecclesia ipsi Ecclesie sanctæ Mariæ in nullo subiaceat, & iidem parochiani in Ecclesia vestra cetera percipiant ecclesiastica sacramenta. Nos igitur quod à prædicto Abbate factum est ratum habentes, sententiam ipsam, sicut rationabiliter lata est, vel legitimæ appellationis remedio sublevata, auctoritate apostolica confirmamus, & præsentis scripti pagina communimus. Decernimus ergo ut nulli &c. Datum Laterani V. Kal. Decembris.

PRIORI ET CONVENTUI
Ecclesie Dunelmen.

Epist. 459.
Vt majoribus in rebus Abbatibus semper consensum requirant.

IS est Prælatorum ad subditos & subditorum ad Prælatos suos dilectionis & concordie servandus affectus, ut nec illi qui præsumunt, subjectorum jura perturbent, nec qui subsunt, iustitiæ derogent præsentium, vel attentent præter eorum assensum quæ cum ipsorum tenentur conscientia pertractare. Sanè cum venerabilis frater noster P. Dunelmen. Episcopus inter vos vices gerat Abbatis, nec ei nocere debeat quod episcopali præminet dignitate, in his ejus est à vobis requirendus assensus quæ præter Abbatis assensum vobis agere non liceret. Eapropter auctoritate præsentium districtius inhibemus ne præter conniventiam ejus vicem super hoc gerentis Abbatis Ecclesias assignare, alienare possessiones, vel conficere super alienationibus instrumenta, Priores instituere vel ministros, & alia quælibet in quibus Abbatis esset necessarius assensus, attentare aliquatenus præsumatis contra consuetudinem regularem. Quod si præter consensum ipsius & inhibitionem præsentem aliquid (quod non credimus) super his duxeritis præsumendum, id irritum decernimus penitus & inane. Nulli ergo &c. nostræ inhibitionis &c. Dat. Laterani VI. Idus Decembris.

PHILIPPO DVNELMEN.
Episcopo.

Epist. 460.
Quo tempore conferenda sint beneficia, &

VT negligentium quorundam desidiæ prædecessores nostri Romani Pontifices ad sollicitudinem excita-